& ea contineat, mihi profectò haud aliud quicquam esse uidetur nisi solum illud incorporeū. Hæc enim inter naturas omnes uel sola persistit, & reliquarum ueluti uinculum, nec à corporis mole procul remota. Necigitur generatur, nec augetur, nec ullo alio motu mouetur. Ac propterea quidem iustum & æquum uidetur, hunc incorporeæ naturæ honorem tribuere.

Quid Stoici de uniuersi exustione sentiant. Cap. XVII.

PLacet huius sectę antiquissimis, in aerem omnia conuerti per maximos quosdam circuitus, & in ignem postea æthereum resolui omnia. Deinde de ueró inducit. Ex his autē manifestūfit, quod Chrysippus, nō rerū hanc confusionē pro essentia acceperit: fieri enim id nō poteſt: sed quæ pro mutatione hac dicta est. Nō enim, p hac mūdi per maximos circuitus facta corrutione, pproprie sumūt corruptionē, qui in ignē omnium resolutionē, quam exustionem uocant, docent: sed corruptionis uocabulum pro hac, quæ secundum naturā fit, mutatione usurpant. Placet enim Stoicis philosophis, in ignem uniuersam essentiam tanquam in semen suum commutari, ex quo rurius uniuersi constitutio, qualis antea fuerat, absoluatur. Hoc sanè dogma sectæ huius uetustissimi astruxerunt: Zenon uidelicet & Cleanthes, nec non Chrysippus. Nam huius discipulum & scholæ successorē Zenonem prohibuisse hanc de uniuersi exustione doctrinam perhibent.

Quid Stoici de uniuersi regeneratione sentiant. Cap. XVIII.

IN tantum progressa communis ratio, & cōmunis natura maior ac plenior reddita ❋ omnia, & in seipsam recipit ❋ fit, ad pristinam reuersa formam, atq; restaurationem, illam quæ maximum annū conficit: in quo ex seipsa sola in seipsam rursus fit restitutio. Reuertens autem ordine, eundem nimirum, quod rationi consentaneum est progrediendi per circuitus tales qui ab æterno indesinenter fiunt, modum tenet, qualē quum disponi primūm atque perfici cœpit. Neque enim principij causam uel omnib. si liceat sic dicere, fieri, neq; perficientis ea. Nam & essentiam ijs quæ fiūt subsistere oportet, quæ natura sua ad suscipiendū eiusmodi omnes mutationes apta sit, & illud ipsum quod ex ea est, operaturū. Qualis enim in nobis natura quædā est operans, tale quoq; necesse est in mundo esse ingenerabile quiddā. Generationis enim principiū nōsic dicēdo, sub ipsa essenatura. Quemadmodum uerò ipsa nec generari, nec corrumpi poteſt, non inquam uel ipsa à seipsa, uel alio quoquam extra accedente corrumpi poteſt.

Quid Stoici sentiant de anima. Cap. XIX.

SEmen quod homo effundit, ait Zenon esse spiritum cum humido coniunctū, animæ partem & auulsionē, adeoq; seminis parētalis utrinq; cōmixtionem, animæ partē coitum uocat. Illud enim eandē cū toto rationem habens, quando in matricem demittitur, cōprehensa iam ab alio spiritu pars illa animę fœmineę, nec nō eiusdem cum illo naturæ facta, absc̄oditaq; crescit mota agitataq; ab illo: & assumens semper humidū, ex seipsa augetur. Et paulo pōst subiungit: De anima uerò Cleanthes quidē Zenonis dogmata adducens ❋ alios physicos ait quod ❋ sensum aut exhalationem ueluti ❋ Volens enim ostēdere quòd animæ exhalatæ intellectiuę semper existāt, fluminibus eas cōparat, dum sic ait: Fluminibus ijsdē aliæ & aliæ affluxione aquæ ingerūtur. Sed & animæ ab humido exhalātur. Exhalationē igitur, sicut & Heraclitus, animam Zenon pronunciat. Sensitiuam autē esse eam propterea dicit, quòd imprimi in eam per sensoria instrumēta possit magnitudo, pars, & quicquid rerum tum existentiū, tum subsistentiū, ipsam antecedit: nec nō figuras illas uarias percipiat. Hæc enim quasi propria animę sunt. Et post alia dicit, animā esse totū illud quod æthera & aerē uocant: qui terrā, mare, & quę ex his ascendūt exhalationes in orbē circūdat. Reliquas uerò animas quotquot uel in animalibus, uel cōtinenti hoc sunt, huic

huic esse agnatas. Permanere enim defunctorū animas. Quidā uerò uniuersi totius animā esse dicūt sempiternum illud. Reliquas uerò cōmisceri rursus post mortē cum illa. Præterea habere unamquāq; animæ dominantis quiddam in se, qualia nimirum sunt, uita sensus, & naturalis ille impetus. Et paulo pōst: Animā & generari & corrūpi dicunt: non uerò statim discedētem à corpore corrumpi, sed ad tēporis aliquod spatium per se cōsistere, & permanere: sapientū quidem, donec in ignem cuncta resoluantur. Quantum uerò ad tempus saltem breue aliquod. Hoc autē nempe animas permanere sic dicunt, quoniam nos animæ facti permanemus exuti iam corpore & transinutato in minorē animæ substantiā corpore. Rudium uerò & animalium brutorum animas unà cum corporibus interire. Hæc & eiusmodi Stoicę philosophiæ dogmata ex his quæ apud ❋ dicta sunt. Contra hanc uerò absurdam horum hominum de anima opinionem sufficiet hæc Longini nostri, quæ aduersus hos breuiter scripsit in hunc mundum.

Longini aduersus Stoicorum de anima opinionem disputatio. Cap. XX.

VTbreuiter dicam, longè mihi abesse à ueri ratione uidentur omnes quotquot corpus esse animā pronunciāt. Quomodo enim quæ per se est, similem esse elementorū alicui possibile est? ubi uerò temperamentis & mixtionibus adhibetur? quæ multis sæpè factæ modis, innumerabiliū aliorum corporum ideis gignendis causa & principium sunt: in quibus etsi non continuo, aliquando certè uidere licet elementorum causam, & primorum de secunda & tertia auxilium. Eorum uerò quæ ad animam, uestigium certè nullum, nullum quoq; signum in corporibus reperitur: & si quis omnem mouere lapidem satagat, quod quidem fecerunt Epicurus, & Chrysippus, & omnem perscrutetur potentiam ad constituendum corpus ex ijs quæ anima sunt actionibus, nunquid spiritus illa tenuis substantia ad phantasias nobis & ratiocinationes prompta est? Quid uerò? num atomorum figura tantam præ alijs uim & potentiam habet, ut prudentiam generet, quando cum alterius forma corporis cōmixta fuerit? non equidem puto, si uel ex Vulcani aliquis tripodibus & ancillis faceret: quorum ait Homerus illos quidem sua sponte in certamē progredi: has uerò cooperari domino, nec quicquam potiorum partium post se relinquere, non certè scobis aliquid sua sponte fluentis. Sed & lapillis per littora sparsis assimulat, quo excellentius quiddam, & sensui magis apertum facere posset. Zenoni & Cleanthi quis non meritò succenseat? qui ignominiose admodum de anima disseruere

❋ Corporis esse animam euaporationem adde orum communionem prorsus exhalabit huius uerò cōceditur, qui putauerunt huic similem esse & nostram & aliorum animalium substantiam. Hoc quidē ut Phantasias & memorias conseruet utcūq; diuturniores: illud uerò impulsiones & uoluntates rerū ad intellectū conferentium. Equidem ❋ & deos, & rerum hoc tam cœlestium quàm terrestriū uniuersum theatrum ad exhalationem, & fumum, nec nō similes nugas referemus: nec poetas reprehendemus, qui etsi exquisitam deorum mentē non teneāt, partim tamen ex communi hominum sentētia, partim uerò ex Musarum instinctu (qualis quædam uis ipsos ad hæc permouens eis innata est) honestius maioriq; uerecundia his de rebus loquuti sunt, non certè exhalationes, non aeres, non uentos, nec alias eiusmodi stultitias esse dixerunt. Hæc tibi Longinus. Audi nunc Plotinum in hos eosdem talibus inuehentem.

Animam nō esse corpus.

Aduersus Stoicos, quòd non possit corporea esse anima. Ex Plotini de anima Cap. XXI.

VTrum uerò immortalis sit unusquisq; nostrū, an totus intereat, an partim quidem sit caducus, partim uerò perpetuus, qua scilicet parte ipse fit: in

Partes substantiales in homine.

sit, in hunc modum quis discere poterit ordine quodã naturę contemplans. Homo profectò non est aliquid simplex omnino, sed habet animam, habet & corpus, siue tanquam instrumentum, siue aliqua quauis cõditione nobis adiunctum. Omnino uerò proponendum est atq; cõcedendum, ita potissimum utriusq; naturã essentiam q̃ distingui. corpus igitur quũ ipsum quoq; compositum sit, tum ratione monstratur perpetuo permanere non posse: tũ sensu deprehẽditur dissolui prorsus & dissipari, cum quodlibet eorum quę in ea sunt, reuertatur ad suum: & aliud interimat aliud, commutetq; in aliud atq; disperdat: præsertim quando anima, quę conciliare solet, molibus iam non adsit. Atqui si corpus quodlibet relinquatur solum, nondũ tamen prorsus est unum, cum solui adhuc possit in formam atq; materiam, ex quibus necessarium est simplicia etiam corpora esse composita. Pręterea corpora omnia quũ necessariò habeant quantitatem, consequenter in minima quæq; redacta dispereunt. Quamobrem si corpus pars est nobis, nõ sumus undiq; immortales. Sin autem nostrum est instrumentum, oportet ipsum ad tempus tributum nobis, tale esse natura. Ipsum uerò principale, atque ipse homo erit utique, uel tale ad corpus, quale est species ad materiam: siquidem hoc ut species est ad corpus, ceu materiam. Vel erit uelut utens corpore tanquam instrumento quodam. Vtroque denique modo anima pręcipuè est ipse homo. Hoc ipsum igitur, quod nomine animæ nuncupamus, quam potissimum naturam habere dicendum? Profecto si corpus est, omnino est resolubile. Omne namque corpus est compositum. Sin autem non est corpus, sed naturæ diuersæ, oportet hanc quoque naturam uel eodem modo, uel alio perscrutari. Principio quærendum est, in quôd nam corpus resoluere corpus hoc, quod uocant animam, debeamus. Nempe quum ubique animæ insit necessariò uita, necessarium est, si id corpus quod fingitur anima, ex duobus pluribus'ue corporibus componatur, aut ambo, uel cuncta simul, aut etiam quomodolibet singulatim uitam insitam possidere: aut hoc quidem habere uitam, illud uerò nequaquam, aut neutrum hanc habere. Si igitur uni tantum insit uita, unicum hoc erit anima. Sed quod'nam corpus hoc est, quod uitam possidet ex seipso? Sanè ignis, aer, aqua, terra, suapte natura carent anima: & cuicunq; horũ adest anima, hoc uita utitur peregrina. Alia uerò præter hæc nulla sunt corpora. Tum uerò quicunque præterea elementa quædam horum introduxerunt alia corpora, ea tamen esse animas non dixerunt, neq; uitam eis attribuerunt. Si quis autem dixerit, nullo eorum habente uitam, congressum tamen cunctorum uitam cõstituisse, absurda loquetur. Item si unumquodq; uitam habet, unum iam sufficit. Omnino uerò impossibile est, confluentiam corporum uitam facere, & quę intellectu carent, facere intellectũ. Atqui nec quomodo cunq; mixta hæc dicent, uel intellectum uel saltem animam procreare. Oportet itaq; esse quod ordinet, mixtionisq; sit causa. Hoc igitur potius autoritatem gradumq; animæ obtineret. Iam uerò nedum corpus cõpositum, sed neq; simplex quidẽ corpus erit in ordine rerũ, nisi in uniuerso sit anima. Siquidem ratio seminalis accedens materiæ facit corpus: ratio uerò ipsa non potest aliunde quàm ab anima proficisci. Si quis autẽ non ita dicat, sed atomos ἢ ἀμερῆ indiuidua uel quædã concurrentia corpora animam, unione cõficere: is profectò ipsa passionis consensione naturæ copula refelletur. Quippe cum nõ ita fiat per totum unũ uel cõpatiens ex corporib. nõ patientibus, nec ullam admittentibus unionẽ: ipsa uerò anima sibimet cõpatiens est omnino. Quin etiam ex indiuiduis neq; corpus neq; magnitudo fieri potest. Præterea si corpus simplex adducat in mediũ, certè quantũ in ipso est, materiale non dicet ex seipso uitã habere. Materia enim qualitatis est expers: sed afferet potius quod in eo uicem

Corpus esse caducum, colligit ex eo, quod illud est σύνθετον.

Corpus an sit ὄργανον

uicem gerit formæ uitam afferre. Si ergo speciem hanc esse dicat essentia, certè non utrumq;, sed horum alterum erit anima. Quod quidem non amplius corpus existit, non enim hoc est etiam ex materia alioqui eodem rursus modo resoluere compellemur. Sin autem subijciat, eiusmodi speciem nõ essentiam quidem esse, sed quandam materiæ passionem, reliquũ erit ut uobis assignet unde nam hæc passio uitaq; descenderit in materiam. Non enim ipsa materia seipsam format, neq; sibimet comparat animam. Oportet igitur aliquid esse quod huic suppeditet uitam, siue ipsi materiæ, siue cuius corporũ suppeditetur: suppeditet inquam foris extans, corporeaq; omni natura superius. Iam uerò neq; corpus omnino erit ullũ, nisi animæ uis extiterit: nam fluit semper, & in motu ipsa corporis natura uersatur, citoq; periturum est uniuersum, si quæcunq; sunt, sint corpora quamuis etiam alicui corporũ quis animæ nomen accommodauerit. Sic enim anima eadem prorsus atq; alia corpora patietur, cum eadem cunctis materia insit, imò uerò nihil alicubi fiet, sed omnia in materia residebunt, ubi non adsit formator ipsæ materię: fortè etiam nec ipsa quidem materia erit omnino. Soluetur & hoc uniuersum, si quis salutem eius corporis connexioni cõmittat, huic attribuens ipsum animę ordinem, uidelicet usq; ad nomina solum aeri cuidam & spiritui penitus dissipabili, unionemq; ex seipso nullam prorsus habenti. Cum enim corpora omnia sint diuidua, si quis alicui corporum cõmittat hoc uniuersum, necessariò fateri cogetur demens id totum esse, ac temere nimirum agitari, Quis'nam ordo esse potest in spiritu ceu uento quodam tantum ab anima ordinem expetente, uel ratio, uel intellectus? Cæterum si adsit anima, hæc omnia huic protinus subministrant ad constitutionem mundi animaliumq; reliquorum: dum alia passim ab alio uis conducit ad totum. Absente uerò hinc anima hæc reliquam nedum ordine careant, sed neq; omnino consistere poterunt. Ipsi etiam naturæ corporeæ assertores ueritate compulsi fatentur atq; testantur, oportere speciem quandam rerum ad animam pertinentem præcedere corpora, corporibus cunctis præstantiorem, quando spiritũ intelligentiæ compotem & ignem intellectualem adducat in medium, qua si gradus ipse naturę summus absq; igne atq; spiritu in ordine rerum esse nõ possit, & locum quendam quo stabiliatur naturaliter exigat, cum deceret potius locum quærere ubi corpora collocarent: quippe quum hæc reuera sit in ipsis animæ uitibus collocanda. Proinde si uitam & animam nihil aliud esse dicant præter spiritum ceu uentum, quærendum est ab eis, quid'nam sibi uelit illud apud eos tritum, quando scilicet dicunt: Anima est spiritus certo modo se habens. Ad id enim confugere solent, quoties naturam aliã præter corpora efficacem introducere compelluntur. Si ergo nõ omnis spiritus est anima, quoniã innumeri spiritus sint inamines, sed spiritus quidam certo modo se habens. interrogabimus, utrum quod dicitur certo modo se habẽs, & eiusmodi habitudo res aliqua sit, certè solusan nulla: si enim res nulla sit, extabit spiritus. Quod uerò adiũgitur, sẽ habens, nomen erit solum. Ex quo efficietur, ut nihil aliud pręter materiam esse cõcedant: animam uerò & Deum, & similia omnia essedunt axat nomina fateantur: sed reuera tantum corpus existere. Sin autem habitudo illa res quædam est, & aliud quiddam pręter subiectum atq; materiam quod quidem sit in materia, sit tamen immateriale, propterea quod ex materia rursus nõ componatur, certè non erit corpus, sed altera prorsus natura, & ratio quædam. Pręterea non minus ex his apparebit, animam corpus esse nõ posse. Sic enim haud calidum esset aut frigidum, aut durum, aut molle, aut cõpactum, aut fluidum atq; laxum: item uel nigrum, uel album similiterq; de cæteris corporum qualitatibus proponetur. Et profecto si calidum tantum est, calefacit solum, si frigidum, frigefa eleuat

cit tãtum, si leue solum, eleuat reddit q̃ leuia ubicunq̃ adest: ac si graue, grauat, ponderosaq̃ facit: similiter nigrum nigra, & album alba propriè parit. Neq̃ enim ignis est frigefacere, neq̃ frigidi calefacere: uerùm anima tum in alijs animalibus alia facit & alia, tum in eodem contraria parit: partim quidem cõgens, partim uerò fundens, atq̃ liquefaciens: item alia densa, alia rara, alba, nigra, leuia, grauia pariter efficit, tametsi nõ alia per aliam, sed unum duntaxat secundum qualitatem corporis unam fieri oporteret, atq̃ colorẽ similiter: nunc uerò multa pariter affert. Motus autem quoniàm pacto non unum tantum, sed differentes asserere poterunt, cum una corporis uniuscuiusq̃ sit motio? Si autem causas motionum partim quidẽ ad electiones partim uerò ad rationes referant seminales, rectè quidem hoc ipsum asseuerabunt. Sed neq̃ corporis propria est electio, neq̃ rationum, præsertim quum differentes sint corpus autem hic unum sit atq̃ simplex, neq̃ corpus omnino rationis eiusmodi compos esse queat, nisi quantum sibi cõcessum est ab eo quod reddit ipsum calidum aut frigidum. Augere uerò certis tẽporibus, & ad certum terminum, quanàm uirtute conueniet corpori? cui quidem naturaliter conuenit augeri: augere uerò nequaquam, nisi forte quãtum in mole materiæ simul adsumitur, uelut ministrans ei quod per ipsum perficit argumẽtum. Etenim si anima corpus existens augeat, necesse est ipsam quoq̃ pariter augeri quadam scilicet corporis similis adiunctione, si modo tanta penitus euasura sit, quantum quod augetur ab ea. Tum uerò quod adiungitur, aut inanima erit, uel animatum corpus, ac si anima sit, quærendũ erit, undenã, & quomodo ingrediatur, & qua cõditione admoueatur. Sin autem quod adiungitur animatum sit, quonàm modo hoc animabitur, & præcedenti consentiet, ueniet q̃ in unum, et priori anima in opinionibus congruet? Ac non potius hæc anima uelut peregrina ignorabit ea quæ altera nouit. Et quemadmodum altera nostra patitur moles, partim quidem ab eade fluet, partim etiam influet, nihilq̃ in nobis idem penitus permanebit. Quonàm igitur pacto in nobis erit memoria, agnitio propriorum nunquam eadem utentibus animis? Præterea si anima corpus est, sicut natura corporis consueuit, in plures distribuitur partes, quarum nulla idem est atq̃ totum. Si ergo anima tanta quædam fuerit magnitudo, quæ si minor aliquanto fuerit, non ulterius futura sit anima, certè sicut & omne quantum per quandã partium detractionẽ ex priori essentia permutabitur. Si quid autem eorum quæ magnitudine prorenduntur, aliquando comminutum mole, interim idem permaneat qualitate: profecto qua ratione corpus est, & quãtum iam euasit alterum: qualitate uerò quę differt à quantitate, idẽ seruare interea potest. Quid ergo dicent qui animam corpus esse putant? Nunquid quamlibet animæ partem in eodem uiuentis corpore esse anima, perinde atq̃ tota est, fatebuntur? ac rursus partis uniuscuiusq̃ partem? Quod si id fateantur, nihil utiq̃ magnitudo ad essentiam animæ conferebat, tametsi conferre oportuit, ubi anima sit quantum quiddam. Veruntamen totum ipsius animæ hic erit ubiq̃, quod corpori conuenire non potest, scilicet ut queat idem totum simul in pluribus esse, atq̃ pars idem penitus esse ualeat, quod & totũ: sin autem partium quamlibet animam esse negẽt, certè ex inanimatis apud illos componetur. Præterea si hunc in modum unuscuiusq̃ animæ magnitudo definita erit, neq̃ consequenter ad utrumq̃ tracta, siue ad maius, siue ad minus erit amplius anima. Quando igitur ex uno coitu unoq̃ semine fœtus gemini procreantur: uel quemadmodum in cæteris animalibus etiã plures concipiuntur, semine uidelicet in plures particulas distributo, ubi unumquodq̃ est totum, cur nõ euentus eiusmodi eos qui discere nolunt, admoneat, ubi pars idem est atq̃ totum, hoc ipsum in essentia sua conditionem

nem quantæ molis excedere, ipsumq̃ oportere esse prorsus à quantitate semotum. Nam ita duntaxat idem permanere potest quanto quouis subtracto, utpote cui nihil opus sit quantitate aut mole. Quippe quũ eius essentia aliud quiddam prorsus existat. Anima igitur quãtitatis est expers, rationisque similiter. Quod autem si anima corpus sit, neq̃ sentire nobis dabitur, neque intelligere, neq̃ scire, neq̃ uirtus omnino, neq̃ quicquam egregium nobis inerit. Ex his apparebit, si quidẽ enim sentire quicquam debet, unũ esse ipsum oportet, & uno quodam eodemq̃ omne percipere. Etsi per plura sensuum instrumenta ingrediantur plura, uel multæ circa unum sint qualitates, ac etiam per unum uideatur uarium aliquid ceu uultus. Non enim aliud quidem uidet nares, aliud autem oculos, sed idem cuncta simul. Ac si aliud per oculos penetret, aliud per auditum: unum tamẽ oportet esse ad quod perueniunt utraq̃: alioqui non posset animus horum inter se differentiam iudicare, nisi intentiones sensuum sensibiliumq̃ in unum æquè confluerẽt. Oportet igitur hoc esse quasi centrum: sensus uerò singulos undiq̃ non aliter ad hoc ipsum quàm lineas à circumferentia ad centrum usq̃ protendi, atque uim eiusmodi cuncta comprehendentem reuera unum aliquid esse. Nam si diuiduum aliquid esset, & quasi ad extrema lineæ utraq̃ intentiones sensuum pertinerent, aut rursus in unum, idemq̃ concurrerent quasi medium, aut aliud ibi esset & aliud, atq̃ alterum alterius tantum haberet sensum: ceu si ego aliud sentiam, tu uerò sentias aliud, etiamsi unum sit spectaculum seu uultus, aut potius in unum congregabuntur. Quod & apparet: congregantur enim & in pupillis, alioqui non possent per eas maxima queq̃ uideri. Quamobrem quæ ad ipsum animæ principale prouenium, multo magis uelut notiones quædam sunt indiuiduæ, ideoq̃ id quoq̃ erit indiuisibile: alioqui si habeat magnitudinem, unà cum re sensibili diuidetur. Itaque pars alia sentiet aliam, nihilqũe in nobis sentiendo rem totam percipiet: at enim unum est id totum: quo enim pacto diuidi potest: nam si diuidatur, nequit tanquam æquale æquali prorsus accommodari, quoniam principale nostrũ cum omni re sentienda æquale esse non potest. In quot igitur diuisio fiet? nunquid in tot secabitur, in quot partes numero quod incidit sensibile distribuitur? Et quælibet partium animæ particula sentiet idem? an fortè particulæ partium sensu carebunt? at uerò id fieri nequit. Sin autem quodlibet totũ sentiat, cum magnitudo diuidi queat in infinitum, nimirum innumerabiles quoq̃ sensus circa unumquodq̃ sensibile in unoquoq̃ continget, quasi innumerabiles in principali nostro rei eiusdem sint imagines. Præterea si corpus sit quod sentit, non alio modo sentire continget, quàm si quędam ab annulo in cera imprimuntur imagines, siue in sanguine, siue in ære quodã sensibilia imprimantur. Ac tanquam in corporibus humidis, quod & probabile est, certo tanquam in aqua confundentur imagines, neq̃ memoria erit ulla. Quòd si figuræ permaneant, aut non licebit alias ibi fingi prioribus permanentibus, ideoq̃ sensus alij minimè fient: aut si fiant alij, priores protinus delebuntur: quapropter memoria iam cessabit. Si autem possumus meminisse, ac præter alia sentire rursus & alia, prioribus nequaquam impedientibus, impossibile est animam esse corpus. Idem præterea ex dolore doloriscq̃ sensu declarari potest, utpote quando quis dicitur dolere digitum, tunc dolor quidem est in digito: sensum uerò doloris circa ipsum animæ principale contingere fatebuntur, ubi pars quædam spiritus animati dolet. Principale uerò id percipit, atq̃ anima tota idem tũc quodammodo patitur. Quo'nam igitur modo id accidit? Respondebunt arbitror, successoria quadam traductione, dũ uidelicet primò patitur spiritus animalis circa digitum, atq̃ hinc deinceps ad partem continuam: rursusq̃ ad aliam traducitur passio, donec

ad principale peruenīat. Necessarium est igitur, si primò patiens sensit, alium sensum esse secundi, si modò per successionem quandam sensus amplificatur. Tertij quoq; patiens tertium esse sensum, multosq; sensus atq; innumeros in eodem dolore contingere. Ipsumq; principale postremò sentire sua m duntaxat passionem. Et profectò singulos sentienti actus non passionem quidem digiti persentire, sed eam quæ sequitur circa digitum, utputa partem digito proximam, percipere sequentem mox post digitum passionem: partem uerò remotiorem, passionem quoq; remotiorem, multosq; dolores accidere. Tunc certè principale non passionem quæ premit digitum, sed propriam sentiet, feretq; de hac sola iudicium, cæteris omnino dimissis, digitum dolere prorsus ignorans. Si ergo sensus passionis eiusmodi per sue celsionem fieri nequit, & corpus cum sit moles, non id habet, ut in eo patiente alio id persentiat aliud. In omni enim magnitudine hoc quidem aliud est, illud rursus est aliud, nimirū oportet quod sentit esse tale, ut ipsum ubiq; sipijsi sit idē. Id autem assequi ad aliud quiddā in ordine rerū pertinet potius, quam ad corpus. Quod autē anima, si corpus quomodo sit, intelligere nequeat, per hæc nobis est demonstrandū. Profecto si sentire est, animā utentē corpore percipere sensibilia, intelligere non erit per corpus apprehendere, alioqui idem futurum est intelligere atq; sentire. Si ergo intelligere est absq; corpore comprehendere, multo prius oportet ipsum quod intellecturū est, nō esse corpus. Præterea si sensibiliū sensus est, consequenter intelligibilium est intellectio. Quod si non omnino receperint, erunt tamen intelligibilium quorundā intellectiones, & indiuisibilium apprehensiones in nobis. Quo nam igitur pacto intellectus si fuerit magnitudo, intelliget quod est à magnitudine liberum? & quum natura diuidua indiuiduum apprehendet? An fortè parte quadam ipsius indiuisibili: quod quidem si ita sit, id ipsum quod intelligit, non erit corpus. Non enim opus est toto ad attingendum: nam satis est uno quodam attingere. Si ergo concedent primas intelligentias, quod & uerum est, esse rerum à corpore prorsus absolutarum, scilicet ipsius unusquisque, ut dici solet, abstracti: necessarum est naturam quoque intelligentem eatenus intelligere, quatenus uel est, uel fit à corpore libera. Si autem intelligentias dixerint uersari circa formas materiæ adhærentes, fatebuntur tamen eas tunc duntaxat intelligi, quando à corporibus segregantur, intellectu scilicet segregante. Non enim cum his carnibus ipse homo, uel omnino cum materia ipse circulus & triangulus lineaq; & signū, eo ipso quo à mente segregantur gradu consistunt. Quamobrem animum quoque necesse est seipsum à corpore in hoc habitu seuocare: oportet igitur neque ipsam corpus existere. Profectò ab omni magnitudine exemptum est ipsum pulchrum, ipsumq; iustum, similiterq; horum intelligentia. Quapropter accedentia nobis impartibili quodam animi apprehendentur, atq; in hoc ipso impartibili sita manebunt. Deniq; si anima corpus sit, non uideo quomodo temperantia & iustitia uirtutes eius sint, quę et hanc eatenus seruent, quatenus capiuntur ab ipsa. Hæc igitur ex Plotino nobis adducta sint, quibus aduersus Stoicorum opiniones, qui corpoream esse animam dicunt, disputat. Sed quoniam sufficienter nunc tam ea quæ contra Aristotelem & Peripatum, quàm quæ aduersus Stoicorum secta disputata sunt, quasi per epitomen apposui. Porrò nunc expecta cognoscere simul omnium præstantissimorum philosophorum admirabiles philologias: quod communiter Græci omnes uelut uisibiles deos solem & lunam reliquasque stellas, nec non alias mundi partes & habuerunt & coluerunt: atque fabulosas suas & nugatorias de deorum multitudinis errore narrationes honestis sanè & physicis quibusdam traditionibus ad elementa ac totius

Philologia Græcorum Philosophorum.

totius mundi partes transferre studuerunt. Vnde necessarium esse mihi uidebatur, has quoque de rebus illis opiniones horum simul inducere, quo, quantum ab inuicem per stultam æmulationem dissenserint quoq; considerarem. Apponam autem hæc ex Plutarchi libro, in quo tam ueterū quàm iuniorum de his opiniones adducens, talia scribit.

De solis substantia. Cap. XXII.

ANaximander orbem esse dixit octo & uiginti partibus terra maiorem absidem curriculi rota similem habentem, cauam, ignis plenam. Huius quadam ex parte effulgere ignem, similiter atque per tibiæ foramen ad nos emissum, quem esse solem. Xenophanes ex igniculis solem coagmentatum ex humidis uaporibus collectis, aut nubem ustulantem. Stoici ignitum quod intelligentiæ particeps ex mari existens, & permulto igne compactum. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus globum ferri candentem, aut saxum ignitum. Aristoteles globum ex quinto corpore coactum. Philolaus Pythagoreus solem uitri modo perlucentem, accipere ab igne cœlesti splendorem, acceptumq; ad nos transmittere, & tanquam percolare, adeò cœlestem ignem soli assimilem esse, ex quo prodire solem, & simile quid speculi, tertiamq; inde à speculo lucem ad nos per reflexionem dissipari. Hanc enim nos solem uocare, quasi imaginis imaginem. Empedocles soles duos. Horum unum quidem ignem primarium, & (ut ita dicā) exemplarē, è regione semper reflexi simulacri sui constitutum. Hunc autem solem qui uisitur, repercussum simulacrum esse eius qui in altero est hemisphærio, aere ignito illo quidem pleno, ab orbiculata uerò illud terra in solem crystallinum repercussum, unaq; cum ignei illius motu raptum, ad summam effulgentiam esse ignis terram ambientis. Epicurus glebulentum, spissamentum, pumicosum, exesos intra meatus ignitum.

De magnitudine solis. Cap. XXIII.

ANaximander solem quidem terræ æqualem, circulum uerò quo nectatur, & unde spiraculum habet, octies & uicies terra maiorem. Anaxagoras multis partibus Peloponneso maiorem. Heraclitus latitudine pedali. Epicurus omnia prædicta probabilia esse dixit, aut etiam tantum esse quantulus apparet, maiusculum, minusculum.

De forma solis. Cap. XXIIII.

ANximenes dilatatilem ad modum laminæ solem. Heraclitus scaphæ modo leuiter pandum. Stoici conglobatum ut mundum, ut sidera. Epicurus prædicta omnia defendi posse. Talis quidem ipse est magnus ille deus sol inter ea quæ in cœlo conspiciuntur. Moyses uerò & Hebræorum libri nihil circa hæc laborant.

De luna. Cap. XXV.

ANaximander circulum esse decem & nouem partibus terra maiorem, igne ueluti solis quoq; circulum plenum. Sic deficere lunam rotæ cōuersionibus: similem enim esse uehiculari rotæ absidem cauam habenti. Hanc autem ignis plenam uno tantum spiraculo. Xenophantes nubem esse constipatam. Stoici temperamentum ex igne aereq;. Plato bona ex parte igne constare. Anaxagoras, Democritus ignitum conglobamentum campestria in se colles conuallesq; complectens. Heraclitus terram nebula obuolutam. Pythagoras quoq; ignitum lunæ corpus.

De magnitudine lunæ. Cap. XXVI.

SToici maiorem terra arbitrantur, quemadmodum & solem: Parmenides soli æquam, à quo illuminari ipsam.

De formis lunæ. Cap. XXVII.

SToici sphæricæ eam esse figuræ, sicuti & solem: Heraclitus scaphæ simi-lem Empedocles disci, nonnulli cylindri.

De illuminatione lunæ. Cap. XXVIII.

ANaximander peculiare ipsam lumen habere, etsi rariusculum. Antiphon proprio lunam fulgere splendore, uerùm solis ingruentibus radijs obrutum id hebescere. Quippe ita natura comparato languidũ ignem à præualido hebetari, quod æque in alijs usu uenire stellis. Thales, quique ab eo denominati, lunam à sole illustrari autumant. Hæraclitus solem atque lunam eodem modo affici: ambas enim stellas in scapham configuratas esse. Illustrari autem ipsas sorbendis spiraminibus humidis ut conspicuæ sint, solem quidem splendidius, ut qui in aere liquidiore uectetur: at lunam turbidiore, ex quo & fusciorem esse.

Quæ stellarum tam erraticarum quàm fixarum substantia. Cap. XXIX.

THales glebulẽta quidem, sed ignita sidera. Empedocles ignea, ex igne constantia, quem æther in se conceptum, in prima elisit elementorum discriminatione. Anaxagoras circundatum ætherem, igneum quidem suapte essentia esse: suæ autem impetu uertiginis saxa à terra raptantem, suo ipsum igne stellas succendisse. Diogenes pumicosa sidera, mundique spiracula putat. Idemque rursus inuisibiles lapides sæpenumero cœlo deciduos in terra restingui perhibet, haud secus atque olim in Aegos potamis saxeam stellam igni simillimè dilapsam. Empedocles fixas stellas crystallo adnexas esse, errantes autem solutas. Plato maxima ex parte igneas esse, participantes uerò aliorum quoque elementorum ad glutinis instar. Xenophanes ex nubibus ignitis concretas, extinctas autem interdiu, noctu carbonum modo reconcandescere. Exortusque & occasus solis earum esse accensus restinctusque. Heraclitus & Pythagorei unamquamque stellam mundum esse terram suam ambientem, aeremque adeò & ætherem in infinito æthere Huiusmodi decreta in orphicis esse perhibentur. Singulos enim mundos in singulas architectantur stellas. Epicurus nihil horum refellit: contingentibus adhærens.

De formis stellarum. Cap. XXX.

SToici globosas stellas, quemadmodum & mundũm, solem & lunam Cleanthes turbinales. Anaximenes clauorum in modum crystallaceo quodam suffixas. Sunt qui bracteas esse ignitas putent, tanquam picturamenta. Talia sunt quæ illi in mirabili sua philosophia, de ijs quæ dij ipsis creduntur, excogitarunt. qualia uero de uniuersi constitutione adducant, ex eodem disce Plutarcho.

Quomodo coagmentatus mundus sit. Cap. XXXI.

MVndus autem coagmentatus est circumflexa forma, hoc propè modo configuratus. Quum indiuidua corpuscula temerario fortuitoque motu assiduè celeriterque mouerentur, corpora in unum multa glomerata sunt, uaria tum magnitudine, tum forma. His unum in locum coactis, quæcunque maiuscula grauiusculaque erant, penitus subsederunt. Quæ autem minuta, rotunda, leuia, lubrica, hæc in concursu corporum elidebantur, sursum que uersus ferebantur. Simulac autem impulsiua illa ui & subuehente defecta ipsa non iam sublime efferebantur, nec deorsum ferri poterant, ad loca appel-

appellabantur eorum capacia. hæc autem erant in ambitu. An uero uniuersum illud ut unum, uel ut plura censendum, & an unus uel plures mundi sint: num quoque animatus ille sit, & an diuina dispositus regatur prouidentia, siue contraria hisce sint astruenda. Præterea incorruptibilis ne sit mundus an corruptibilis, unde alatur, à quo uel quali exorsus sit Deus mundum fabricaturus. De mundi denique ordinatione, quæ'ue motus & inclinationis eius causa assignanda sit: de ea quoque quæ extra mundum est, circumferentia: quæ in mundo uel dextra uel sinistra sint habenda. Amplius de cœlo, & præter hæc omnia de genijs & heroibus, de materia, de ideis, de uniuersa totius dispositione. Porrò de astrorum latione & motu, & unde stellæ lumen suum accipiant. Item de ijs quoque qui Dioscuri uocantur. De solis & lunæ defectibus, de lunę imagine, cur terra uideatur, deque eiusdem intercapedine qua à sole distat: de annorum ratione. Hæc sane omnia multis quidem & copiose ab his de quibus sermo nobis est, tractata sunt: quia uerò breuior Plutarchus, uelut in compendium horum omnium opiniones & dissensiones contraxit, haud absurdum fore putaui huc eas pro maiori excusatione adijcere. Si enim inter seipsos illi ex diametro pugnarant, prælia ac bella tantum non aduersus seipsos incenderunt, omnes tamen fermè, non nisi ambitionis studio sua quique defendentes, aliorum inficiantes: quomodo non omnis utique tutiorem nobis meritò fuisse nostram hanc de rebus istis epochen fatebitur? Adijciam autem his quæ dicta iam sunt, ea quoque quæ de humilioribus terræque uicinioribus commenti sunt: de terræ nempe figura, situ, atque inclinatione: præterea de mari quoque, ut uideas quod magni illi uiri nõ solùm circa sublimia & altiora contentione dissenserint, sed inferiora quoque illa discordes fuerint. Verùm quo magis adhuc sapientum horum sapientiam miteris, apponam quoque breuiter, qualiter de anima & eius præside concertarint, non seipsos agnoscentes cuius'nam essent ipsi naturę. Sed redeamus ad id quod primo loco dicendum proposui.

An unum uniuersum. Cap. XXXII.

ENimuero Stoici unicum esse mundum censuerũt, quem & uniuersum esse dixerunt, & quicquid corpore constaret. Empedocles mundum unum quidem, uerùm mundum nõ esse uniuersum: esse autem per parum naturæ uniuersæ partem: reliquam uerò & magnam partem uacantem esse materiam. At Plato ex tribus, ut uidetur, unum esse mundum conijcit, & uniuersum unum, quod uideri consummatus non possit, nisi omnia comprehendat: quod nisi unus sit, exemplaris, id est Dei similis esse nõ possit: quod denique si quid extra eum est, perpetuò incolume esse nequeat. Ad Platonem igitur responderi potest, mundum consummatum non esse, nec enim omnia continet, alioqui homo quoque consummatus esset, sed non omnia continet. Exemplaria autem multa esse, quemadmodum in statuis, ædificijs, picturis: nam quomodo perfectus, si quid extra ipsum circumuersari potest? Iam uerò immortalis non est, nec esse quidem potest, quippe qui natiuus sit. Metrodorus absurdum esse ait, in latifundijs unicam spicam nasci, nunquam in infinito mundum. Quod autem innumeri sint, ex hoc liquere, quod innumerabiles sint eorum causæ. Si enim quibusdam suis finibus finitus est mundus, causæ etiam infinitæ ex quibus constat, necesse est infinitos esse: ubi enim sunt causæ, inibi effectus quoque: atqui causæ, indiuidua aut elementa.

Animans ne sit mundus, & an prouidentia administratus. Cap. XXXIII.

CAeteri quidẽ omnès animatum mundum, & prouidentia administratum. Democritus uerò, Epicurus, & quicunque indiuidua inducunt & inane